

§. IV.

Eadem peste etiam PETRUS de APONO BONATO, qui circa annum 1317 claruit, correptus fuit, vir alias stupendæ eruditionis, qui ob librum de *Medicina omnimoda* inscriptum, in quo veterum medicorum placita conciliaverat, CONCILIATOR κατ' ἐξοχήν audit. Huic inter alios partus debemus Astrolabium planum, (m) è quo cuivis cognoscere licet moram concepti in utero infantis, editique postea in lucem conditionem. An fallat, vel fallatur ipse Aponensis, in præsentia iudicium mihi non sumo. Verum quod in hoc libro, qui se nunquam mihi in conspectum dedit, religiones astris subjecerit, futuros principum eventus, quantumlibet malignos & damnosos denunciaverit, maximè vero *Salvatoris nostri Jesu Christi Horoscopum* more astrologorum interpretatus fuerit, id accepimus ex iudicio Gabriel. Naudæi, quod præfixit opusculis Augustini Niphi, Parisiis anno 1645 editis.

§. V.

Vestigia horum temerario ausu pressit, Purpuramque suam impiæ istius vanitatis macula conspersit PETRUS DE ALLIACO, Archiepiscopus Cameracensis, Presbyter Cardinalis, & Gymnasii Parisiensis quondam Cancellarius, summæ existimationis vir, qui floruit in Concilio Constantiensi anno Domini 1416, annis 136. ut supputat Ricciolus, (n) post obitum Alberti M., & sub Papa Martino V, teste Naudæo, (o) in vivis esse desiit. Varia eruditionis suæ monumenta vulgavit, inter quæ nobis hac vice inseruiunt: *Elucidarium Astronomicæ Concordiæ cum Theologicâ & Historicâ Veritate*; *Quæstiones in Genesin Librumque de stella Magorum*; & *Liber de Legibus & Seclis contra supersticiosos Astrologos*; in cuius tractatû cap. VII. (quod & in sexcentis aliis locis subministratâ occasione innuit) de lege Christiana ineptè disserit, Christum Legislatorem nostrum inde à Nativitate sua admodum bonam complexionem naturalem habuisse: quare rationi naturali planè consonum esse, eum sub bona cœli dispositione seu constellatione conceptum & natum fuisse, & ab hac, complexionis bonitatem naturaliter in eo dependisse, putat. Deinde *Quæstione 30. in Genesin* de Magis, utpote Astrologiæ peritissimis, affirmat, eos ex positu astrorum prævidere potuisse Christi nativitatem & vitam, licet non ea evidenti prænotione, quâ postea Christi ortum, stellâ novâ indigitante, noverint. *Nam etsi Christi conceptio* (sunt verba hujus Purpurati, quæ Sixtus Sen. in Biblioth. S. (p) citat) *& Nativitas omnes cœlorum vires, atque omnes naturæ facultates in*

B 2

ple-

(m) Venet. excus. anno 1502. (n) *Almag. novo Lib. VIII, Sect. II. p. 188.* (o) *Loco sapius cit.* (p) *L. VI, Annot. X. p. 425.*